



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 10 Nam semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper
habebitis. v. 11.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

§. 9. *Sciens autem Iesus ait illis: quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me. v. 10.*

Sciens vidensque Iesus murmuraciones discipulorum suorum, non voluit se continere, quo minus defenderet bonum opus increpando, & insciam & malevolentiam discipulorum erga se Dominum: dixit itaque: *quid molesti estis huic mulieri? opus bonum operata est in me*, quasi diceret, quid turbamini? quid scandalizamini? quod hæc mulier me pretioso unguento unxerit, bonum opus fecit, placent mihi, nec vobismet displiceret, si vestrae personæ esset impensum, sane non murmuraretis. Iam vero me permittere satis debebat esse vestro sapiendo iudicio: nolite ergo falso indicare, ne iudicemini, nolite invidere, ne peccetis in Deum vestrum:

O Domine, da mihi hanc gratiam, ut proximo nunquam invideam bonum quod habet aut accipit: sed & nunquam factum eius male interpreter, sed potius semper exculem nimirum ipsum non habere intentionem illam malam, quam forte alius malevolentia ductus ex facto eius concipere posset.

§. 10. *Nam semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habebitis. v. 11.*

Argumentum aliud ponit ipsis ob oculos ad sedandam indignationem eorum & invidiam, deductum ex morte sua, quasi diceret: quando quis iam iam est moriturus non solent eiusmodi hominem alij affligere: ergo nec contra me vos debetis conqueri de hac muliere, quæ modo ipsimet Domino benefacere voluit. Domine forte id est argumentum mortis tuæ, quod tu separari velis à nobis, lux nostra, salus nostra, in quo agitur vivemus, illuminabimur, salvabimur, si tu discesseris à nobis?

Quis non moveretur ad ea verba Christi, quod vel saxeum cor non mollesceret, ubi considerat quod delitiæ æternæ se deserant! Ah mi Jesu nunquam separari velis à me, sive in morte, sive vita, sed æternum maneam tecum, te contemplando, te fruendo, tibi ubique & semper serviendo.

§. 11. *Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum ad sepeliendum me fecit. v. 11.*

Pergit excusare mulierem à consuetudine Iudæorum: quorum mortua corpora solebant inungi, itaque dicit, hæc corpus meum prævenit unguendo sepulturam, brevi enim moriturus sum, ideoque hæc præstat officium mortuis debitum, quod mortuo fortasse impendere non poterit, vel non audebit. Igitur vos, ô mei discipuli, peccatis hanc calumniando quasi male fecerit in me effundendo hoc unguentum.